

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXII - N. 1

---

1990

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

IUNIO 1990

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram . . . . . 3

Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos ac Officiales Paenitentiariae Apostolicae et ad Paenitentiarios Basilicarum Patriarchalium in Urbe coram admissos . . . . . 8

### ACTA CONSILII

Responsum ad propositum dubium . . . . . 11

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De Personis physicis et moralibus » (« De Quaestionibus specialibus Libri II » (Sessio VII) . . . . . 12

II. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De personis physicis et moralibus » (Sessio VIII) . . . . . 36

III. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De personis physicis et moralibus » (Sessio IX) . . . . . 74

IV. Coetus studii « De Personis physicis et iuridicis » (olim « De personis physicis et moralibus » (Sessio X) . . . . . 118

\* \* \*

Opera a Consilii Bibliotheca recepta . . . . . 167

Notitiae . . . . . 168

## II

## COETUS STUDII

## « DE PERSONIS PHYSICIS ET JURIDICIS »

(OLIM « DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS »)

**Sessio VIII**

(diebus 4-8 octobris 1971 habita)

Diebus 4-8 octobris 1971, in Aula huius Pontificiae Commissionis, habita est VIIIa Sessio Consultorum, qui Coetum Studii efformant ad recognoscendas normas « de Personis physicis et iuridicis » (« olim de personis physicis et moralibus » (ac prius « de Quaestionibus specialibus Libri II »).

In conventibus partem habuerunt Rev.mi duo et Ill.mus unus Consultores. Aliquibus adunationibus interfuit etiam Em.mus D.nus Cardinalis Pericles Felici, Commissionis Praeses.

Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est.

Rev.mus Marianus De Nicolò, Adiutor a studiis Commissionis, acta redegit.

Quaestio in hoc studiorum coetu tractanda erat: recognitio textus canonum de potestate ordinaria et delegata.

Ineunte Sessione, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut laborum ordo ita disponatur:

- a) reconsideratio textus canonum de potestatis regiminis exercitio;
- b) perlectio textus omnium canonum de personis; et, quatenus tempus suppetat:
- c) quaestio de ordine systematico Codicis.

## I

In canonum lectione de potestatis regiminis exercitio haec, quae sequuntur, notanda veniunt:

*Canon 1 (CIC 196)*

Potestas regiminis, etiam potestas iurisdictionis vocata, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, exercetur sive pro foro externo, sive



quandoque pro foro interno, ita quidem ut effectus, quos eius exercitium natum est habere pro foro externo, non recognoscantur, nisi quatenus id determinatis pro casibus iure statuatur.

Rev.mus Secretarius Ad. locutioni « pro foro interno » proponit ut adiungatur « solo »; et dein dicatur: « natum est habere etiam pro foro externo, *in hoc autem foro* non recognoscantur... ».

Consentit Ill.mus primus Consultor quia formula est magis clara et doctrinalis, etsi indiget ulteriore consideratione.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut particulae « sive ... sive » deleantur et dicatur « ordinarie » pro foro externo et « exceptionaliter » pro foro interno. Non placet Rev.mo Secretario Ad. adverbium « ordinarie » quia non sufficit et praeferret vel « regula generali », vel « de se ».

Ill.mus primus Consultor proponit ut simpliciter dicatur « pro foro externo », quia hoc modo clare omnia intelliguntur; et loco « exercetur » dicatur « exerceri valet ».

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem formulam proponit: « ... pro foro externo nisi expresse statuatur eandem exerceri pro solo foro interno, ita scilicet... ». Contradicit Rev.mus secundus Consultor, ex eo quod impossibile est expressam declarationem semper exigere; et ipse praeferret locutionem « de se pro foro externo... ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit « nisi constet pro solo foro interno... » et Rev.mus tertius Consultor « nisi legitime (aut: iure) constet... ».

Post sat perlongam disceptationem Ill.mus primus Consultor declarat formulam primigeniam textus se praeferre sed cum adiunctione verbi « solo » ad forum internum quod attinet. Rationem ita explicat: textus canonis nimis doctrinalis evaderet et interpretationes legitimas — uti ex. gr. de natura effectuum — coarctare potest. Nihil habet de se contra alias propositas formulas, sed illam primigeniam praeferret.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut verba « quos eius... habere » supprimantur et dicatur tantum: « ut effectus pro foro externo non recognoscantur, nisi... ».

Contradicit Rev.mus secundus Consultor ex eo quod formula « quos eius exercitium natum est habere » pulcherrima videtur praecise ad effectus eorundemque naturam quod attinet et proponit ut adiungatur, post « effectus », verbum « iuridicos », quia proprie de effectibus iuridicis agitur.

Rev.mus tertius Consultor vellet ut adiungatur « in hoc tamen foro non recognoscantur ». Concordant Rev.mus Secretarius Ad. et Ill.mus primus Consultor.

Rev.mus secundus Consultor sustinet contrapositionem inter utrumque forum satis enuntiari per particulas « de se » et « quandoque ».

Ill.mus primus Consultor, ut magis praesumptio pro foro externo concrete eluceat, suggerit ut adiungatur « nisi constet eandem exerceri pro solo foro interno ».

Rev.mus Secretarius attentis omnium sententiis, sequentem proponit formulam: « ...in Ecclesia, exercetur pro foro externo, nisi constet eandem exerceri pro solo foro interno, ita scilicet, ut, salvis casibus iure statutis, effectus quos eius exercitium natum est habere pro foro externo in hoc foro non recognoscantur ».

Rev.mus tertius Consultor loco « statutis » praefert « exceptis ».

Rev.mus secundus Consultor notat pro foro interno tantum exercitium exceptionale adesse; observat insuper necessarium esse in textu prius distinctionem inter duo fora enuntiari, dein modum exercitii statuere, ubi praecise locum habet praesumptio pro foro externo.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit igitur hanc alteram formulam, quae, tandem aliquando, omnibus placet:

« Potestas regiminis... in Ecclesia, de se exercetur pro foro externo, quandoque tamen pro solo foro interno, ita quidem ut effectus quos... habere pro foro externo, in hoc foro non recognoscantur, nisi quatenus... ».

#### *Canon 2 (CIC 197)*

§ 1. Potestas regiminis ordinaria est quae ipso iure alicui officio adnectitur; delegata est quae ipsi personae, non mediante officio, conceditur.

§ 2. Potestas regiminis ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.

#### *Quoad § 1:*

— supprimatur « est » post verbum « delegata » (secundus Consultor). Placet omnibus.

— supprimatur comma post verba « personae » et « officio » (Secretarius Ad.). Placet omnibus.

§ 2a placet.

#### *Canon 3 (novus)*

§ 1. Potestas regiminis, ratione muneris fungendi ad quod ordinatur, distinguitur legislativa, executiva et iudicialis.

§ 2. Potestas regiminis executiva quae exercetur in volentes dicitur gratiosa; quae exercetur in invitos coercens.



*Quoad § 1:* Rev.mus tertius Consultor proponit ut supprimantur verba « ad quod ordinatur »; nam in locutione « ratione muneris fungendi » iam continetur idea.

Rev.mi Secretarius Ad. et secundus Consultor malunt ut verba remaneant, quia de se potestas non est munus et ideo melius textus specificatur.

Ill.mus primus Consultor declarat se nimiam differentiam non videre.

Textus § 1 manet sicuti iacet.

*Quoad § 2:* Rev.mus secundus Consultor notat non omnes actus administrativos sub hac distinctione cadere, quia non sunt iurisdictionis gratiosae nec coercentis. Distinctio inter potestatem gratiosam seu voluntariam et coercentem non est completa; adsunt enim permulti actus administrativi, uti ex. gr. in de rescriptis, de imprimatur, etc., qui sub supradicta distinctione non cadunt.

Rev.mus Secretarius Ad. observat hos actus sub potestate gratiosa cadere praecise qui petuntur. Sed animadvertit Rev.mus secundus Consultor, si negantur, eosdem sub potestate coercente cadere. Notat tamen Rev.mus Secretarius Ad. divisionem sustineri tantum uti divisionem, non ex eo quod distinctio omnes actus exhaurit.

Rev.mus tertius Consultor observat can. 6 exercitium de potestate gratiosa respicere et tamen nihil postea de potestate coercente haberi (quia respicit de iudiciis: Secretarius Ad.) et proponit ut supprimatur « quae ... coercens » et punctum ponatur post « gratiosa ».

Post aliquam disceptationem omnes Consultores in sequentem formulam, a Rev.mo Secretario Ad. propositam, conveniunt: « ...dicitur gratiosa, si exercetur in volentes; coercens, si exercetur in invitos ».

Per particulam « si » indicatur adesse alias possibilitates, distinctione enuntiatis.

#### *Canon 4 (CIC 198)*

§ 1. Nomine *Ordinarii* in iure intelliguntur, praeter Romanum Pontificem, omnes qui, etiam si ad interim tantum, praepositi sunt alicui Ecclesiae particulari communitative eidem aequiparatae ad normam can. ...; necnon qui in iisdem ordinaria gaudent potestate executiva, nempe Vicarii generales et episcopales; itemque, pro suis sodalibus, Superiores maiores qui in aliquo Instituto perfectionis clericali, ordinaria potestate legislativa aut saltem executiva pollent.

§ 2. Nomine *Ordinarii loci* intelliguntur omnes qui in § 1 recensentur, exceptis Superioribus Institutorum perfectionis.

Paragraphus 1a placet.

*Quoad* § 2: Ad locutionem « Superioribus Institutorum perfectionis » quod attinet, aliquam haberi difficultatem notat Rev.mus Secretarius Ad. Concilium enim illam expressionem adhibere noluit. Res tamen ad Coetum de Religiosis remittitur pro decisione. Notat Rev.mus tertius Consultor etiam collegia potestate ordinaria gaudere posse, quae tamen — observat Rev.mus Secretarius Ad. — non ideo sunt Ordinarii.

Textus remanet prouti iacet.

*Canon 5 (novus)*

§ 1. Potestas legislativa, qua in Ecclesia gaudet legislator infra Auctoritatem supremam, exercenda est modo iure praescripto et delegari nequit, nisi quatenus aliud iure explicite caveatur.

§ 2. Potestas iudicialis, qua vi ipsius iuris aut ex speciali Summi Pontificis commissione gaudent iudices aut Collegia iudicialia, exercenda est modo iure praescripto et delegari nequit, nisi ad actus cuivis decreto aut sententiae praeparatorios perficiendos.

§ 3. Ad potestatis executivae exercitium quod attinet, servantur praescripta canonum qui sequuntur.

*Quoad* § 1: Ill.mus primus Consultor observat ipsam auctoritatem supremam determinare debere formalitates iuridicas ad exercendam potestatem legislativam propriam. Etiam Rev.mus secundus Consultor necessarium retinet aliquid determinare de formalitate iuridica ad habendum praecisum conceptum formalem legis (cfr. quae in Relatione Sessionis VIIae, pag. 10, continentur; cfr. *Communicationes* 22 [1990] 20). Notat Rev.mus Secretarius Ad. rem potius ad tractatum de legibus pertinere, et si formulatio canonis, uti sequitur, posset mutari: « Potestas legislativa exercenda est modo iure praescripto et ea qua in Ecclesia gaudet legislator infra Auctoritatem Supremam delegari nequit nisi quatenus aliud iure explicite caveatur ».

Placet omnibus.

Hoc modo etiam Auctoritas Suprema legis formalitatem, i.e. si per unum vel per alium modum, determinare debet.

Paragraphi 2 et 3 placent.

*Canon 6 (CIC 201)*

§ 1. Nisi aliud ex rei natura aut ex iuris praescripto constet, potestatem executivam gratiosam exercere quis potest in subditos, licet e territorio absentes, necnon in peregrinos in territorio actu degentes; item ean-



dem exercere valet extra propriam ditionem exsistens, atque in proprium quoque commodum (aut: atque suimetipsius quoque respectu).

§ 2. Potestatem executivam coercentem quis exercere nequit in proprium commodum aut extra ditionem propriam exsistens; eam exercere potest in subditos eosque, si praecepta aut decreta statuuntur personalia, etiam extra territorium versantes; in peregrinos autem in territorio versantes, tantummodo ad executioni mandandas tum leges universales tum leges quibus ipsi ad normam can. 14 tenentur particulares.

*Quoad § 1:* Rev.mus Secretarius Ad. animadvertit terminologiam traditionalem de « proprio commodo » non videri mutandam et clare rationem ab omnibus intelligi (cfr. quae in Relatione Sessionis VIIae, pagg.6-7, disceptata sunt; cfr. *Communicationes* 22 [1990] 17-18).

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « in semetipsum »; dum Ill.mus primus Consultor observat, si substantia non mutatur, nec verba mutanda esse.

Rev.mus secundus Consultor notat in § 1 de potestate gratiosa seu voluntaria agi et in § 2 de potestate contentiosa, in qua iudicialis comprehenditur, et circa quam memo potest esse iudex in causa propria; proponit ut enuntiatio can. 6 reformetur. Nihil dicitur, ex.gr., de quaestione dependentiae aut independentiae in exercitio huius potestatis. Magnum enim discrimen habetur inter exercitium potestatis iudicialis et executivae. Iudex est independens ab ordinatione alterius, dum minister in exercitio potestatis executivae a Superiore dependet.

Observat Rev.mus Secretarius Ad. hic potius de potestatis subiecto agi, et non de eius exercitio, de quo in can. 5, § 2 dicitur « exercenda est modo iure praescripto ». Et in § 3, can. 5, dicitur canones sequentes tantum potestatem executivam respicere. Aliter rem componere esset principium subsidiariorum negare.

Post disceptationem omnes conveniunt ut adiungatur particula « quoque » post « in peregrinos »; verba « necnon erga seipsum » post « actu degentes »; ponatur punctum post « exsistens » et reliqua deleantur.

*Quoad § 2:* deleantur verba « in proprium commodum aut ». Placet omnibus.

#### *Canon 7 (CIC 199)*

§ 1. Potestas executiva ordinaria delegari potest tum ad actum tum ad universitatem casuum, nisi quatenus aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Potestas executiva ab Apostolica Sede delegata subdelegari po-

test, sive ad actum sive ad universitatem casuum, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio fuerit expresse prohibita.

§ 3. Potestas executiva delegata ab alia auctoritate potestatem ordinariam habente, si ad universitatem casuum delegata sit, in singulis tantum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus determinatos delegata sit, subdelegari nequit, nisi ex expressa delegantis concessione.

§ 4. Nulla potestas subdelegata iterum subdelegari valet, nisi id expresse a delegante concessum fuerit.

Canon placet uti iacet.

*Canon 8 (CIC 200)*

§ 1. Potestas executiva ordinaria necnon potestas ad universitatem casuum delegata, late interpretanda est, alia vero quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem potestas exerceri nequit.

§ 2. Ei qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

Placet § 1.

*Quoad § 2:* haec paragraphus transfertur uti § 3 canonis 2, quia non tantum pro potestate executiva sed pro omni delegatione valet. Placet.

*Canon 9 (CIC 203) (qui fit 3)*

§ 1. Delegatus, qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.

§ 2. Fines sui mandati excedere non intelligitur delegatus qui alio modo ac in mandato determinatur ea ad quae delegatus est peragit, nisi modus ipse a delegante uti conditio fuerit praescripta.

*Quoad § 1.:* Rev.mus tertius Consultor proponit ut particula « quatenus » adiungatur post « Delegatus », ne totus actus invalidetur cum delegatus suos fines excederit. Sed contradicit Rev.mus secundus Consultor qui sustinet, si delegatus quocumque modo mandati sui fines excedit, totum actum fieri nullum cum actus sit unus. Formula proposita magis recta videtur. Si plures sunt actus ad singulos regula applicatur.

Remanet textus prouti iacet.

Placet § 2a.

Cum agatur de norma generali, canon transfertur post canonem 2.

*Canon 10 (CIC 204)*

§ 1. Salvis cann. 43 et 44, eo quod qui aliquam auctoritatem etiam superiorem, competentem adeat, non suspenditur alius auctoritatis competentis gratiosa potestas, sive haec ordinaria sit sive delegata.

§ 2. Causae tamen ad superiorem auctoritatem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; quo in casu statim superiorem de re moneat.

*Quoad § 1:* Cum aliae exceptiones dari possint, quam illae quae in cann. 43 et 44 recensentur, omnes conveniunt ut dicatur «Nisi aliud iure statuatur», loco «Salvis can. 43 et 44».

Placet § 2a.

*Canon 11 (CIC 205, §§ 2 et 3)*

§ 1. Pluribus in solidum ad idem negotium agendum delegatis, qui prior negotium tractare inchoaverit, alios ab eodem agendo excludit, nisi posthac impeditus fuerit aut in negotio peragendo ulterius procedere noluerit.

§ 2. Pluribus collegialiter ad negotium agendum delegatis, procedere debent secundum praescripta de actibus collegialibus statuta in can. 7 (de personis iuridicis; in CIC 101), nisi in mandato aliud cautum sit.

§ 3. Potestas executiva pluribus delegata praesumitur iisdem delegata in solidum si est gratiosa, collegialiter si est coercens.

Rev.mo secundo Consultori petenti utrum melius sit dicere «ulterius procedere noluerit vel potuerit» an «ulterius non processerit» respondet Rev.mus Secretarius Ad. revera verba sat ampla esse et textum declaratione indigere. Sed omnibus perpensis, post disceptationem, textus remanet sicuti est.

*Canon 12 (CIC 206)*

Pluribus successive delegatis, ille negotium expediat cuius mandatum antea concessum, nec posteriore rescripto revocatum fuerit.

Placet canon, mutatis tantum verbis «posteriore rescripto» cum «*nec postea* revocatum fuerit».

*Canon 13 (CIC 207)*

§ 1. Potestas delegata extinguitur expleto mandato; elapso tempore pro quo concessa fuerit; cessante causa finali delegationis; revocatione de-

legantis directe intimata necnon renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eo acceptata; non autem resolutio iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.

§ 2. Actus tamen, ex potestate delegata pro solo foro interno, per inadvertentiam positus, elapso tempore, validus est.

*Quoad § 1:* post «delegantis» (lin. 3) adiungatur «delegato», atque loco «directe intimata» dicatur «significata».

Placet textus hoc modo emendatus.

*Quoad § 2:* placet, additis tamen verbis «quae exercetur» post «ex potestate delegata», ita ut ad solum exercitium pro foro interno applicetur etsi potestas delegata sit pro foro externo.

#### *Canon 14 (CIC 208)*

§ 1. Potestas ordinaria extinguitur amisso officio cui adnectitur.

§ 2. Nisi aliud iure expresse caveatur, suspenditur potestas ordinaria officio adnexa, si intra tempus iure praescriptum contra decretum amotionis ab officio instituitur recursus administrativus aut actio iudicialis ad Tribunal administrativum.

Paragraphus 1a placet.

Placet etiam § 2a, demptis verbis «expresse» atque «officio adnexa» et adiunctis, post «ab officio» (lin. 3), «cui adnectitur».

#### *Canon 15 (CIC 209)*

§ 1. In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia, pro foro tum externo tum interno, potestatem regiminis gratiosam.

§ 2. In casibus § 1 praevisis, supplet Ecclesia facultatem ad assistendum matrimonio necnon ad confessiones audiendas requisitam.

Placet § 1a.

*Quoad § 2:* iuxta sententiam Rev.mi secundi Consultoris ista paragraphus est superflua, quod negat Rev.mus Secretarius Ad., qui aliquam textus modificationem eiusdemque loci proponit. Ponenda est haec paragraphus uti novus canon, qui hoc modo se habet:

*Canon 16 (novus)*

« Praescripta cann. 14 et 15 applicantur quoque ad facultatem ad assistendum matrimonio necnon ad confessiones audiendas requisitam quod attinet ».

Ill. mus primus Consultor proponit ut « quoque » tollatur: placet propositio. Post disceptationem textus placet omnibus, Rev. mo secundo Consultore excepto.

## II

Canonibus de potestatis regiminis exercitio hoc modo consideratis, fit transitus ad reconsiderationem omnium normarum iam paratarum de personis et canones omnes de hac materia denuo leguntur.

In primis titulus definitive mutatur in « De Personis physicis et iuridicis », qui ex nunc praecedenti « de personis physicis et moralibus » substituitur.

*Canon 1 (CIC 88)*

§ 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra haec aetatem, minor.

§ 2. Minor, ante plenum septennium, dicitur infans seu parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur.

Placet.

*Canon 2 (CIC 89)*

§ 1. Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium.

§ 2. Persona minor in exercitio suorum iurium potestati obnoxia manet parentum vel tutorum, secundum praescripta iuris civilis respectivae nationis, nisi ius canonicum de tutore vel de eiusdem potestate aliud praescriptum pro certis causis statuerit, aut Episcopus dioecesanus in certis casibus iusta de causa per nominationem alius tutoris providendum aestimaverit.

Placet § 1.

*Quoad § 2:* Rev. mus secundus Consultor declarat sibi non placere ut immediate ad ius civile fiat recursus; prius agendum est de iure canonico,

in quo multiplices dantur exceptiones, uti ex. gr. in iure baptismali.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in iure canonico nihil inveniri de tutore, de quo hic agitur, quia semper ad ius civile remittitur. Et regula exceptiones praecedere debet.

Rev.mus secundus Consultor sequentem formulam proponit adiungendam post « tutorum »: « iis exceptis in quibus ius canonicum minores a patria potestate exemptos habet ». Est locutio Codicis et hoc modo ius canonicum remanet ius principale, dum ius civile subsidiarium fit.

Post disceputationem Rev.mus Secretarius Ad. formulam quae sequitur proponit: « iis exceptis in quibus minores lege divina aut iure canonico a patria potestate exempti sunt; ad constitutionem tutorum eorumque potestatem quod attinet, servantur praescripta... ».

Placet omnibus propositio.

#### *Canon 3 (CIC 88, § 3)*

Quicumque usu rationis habitu est destitutus censetur non sui compos et infantibus assimilatur.

Placet canon omnibus.

#### *Canon 4 (CIC 90)*

§ 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo cum filius natus est, domicilium, aut, defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.

§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet nativitatis locus; si de exposito, est locus in quo inventus est.

Placet textus canonis, sed mutetur in § 1 « habebat » cum « habuit ».

#### *Canon 5 (CIC 91)*

Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium; *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habet vel quasi domicilium.

Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem movet an conservari debeat distinctionem inter domicilium et quasi-domicilium. Ipse tenet conservari debere saltem propter rationes historicas. Etiam Rev.mus secundus Consultor eandem tenet sententiam: sunt enim adiuncta ubi distinctio magnum momentum habet, uti ex.gr. in contributione pro Ecclesia et in tri-



butis solvendis. Ill.mus primus Consultor notat, et concordat Rev.mus tertius Consultor hanc distinctionem numquam nocuisse, neque nocere eandem servare.

Placet ideo distinctionem inter domicilium et quasi-domicilium servare.

Placet ergo textus canonis.

*Canon 6 (CIC 92)*

§ 1. Domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta si cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, aut ad decennium completum sit protracta.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur commoratione in territorio de quo in § 1, quae aut coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem per tres menses si nihil inde avocet, aut ad tres menses reapse sit protracta.

§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in territorio paroeciae dicitur *paroeciale*; in territorio dioecesis, etsi non in paroecia, *dioecesanum*.

*Quoad § 1:* Rev.mus tertius Consultor proponit ut quinquennium loco decenni requiratur ad domicilium acquirendum, quia hoc ultimum temporis spatium nimis longum est. Pro Ill.mo primo Consultore est potius quaestio theoretica.

Rev.mi secundus Consultor et Secretarius Ad. praeferunt ut remaneat decennium. Omnes consentiunt.

Remanet ideo textus prout est.

*Quoad § 2:* Placet, mutatis verbis «commoratione... in § 1» cum «ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione».

Placet § 3a.

*Canon 7 (CIC 95)*

Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 8.

Nulla fit animadversio. Placet.

*Canon 8 (CIC 93)*

Uxor, ratione debitae inter coniuges vitae communionis, communi quidem ut plurimum consensu ordinandae, praesumitur habere domici-

lium et quasi-domicilium viri sui; potest tamen proprium domicilium et quasi-domicilium acquirere.

Nulla fit animadversio. Placet.

*Canon 9 (CIC 93)*

§ 1. Minor necessario retinet domicilium et quasi-domicilium illius cuius potestati subiicitur. Infantia egressus potest etiam quasi-domicilium proprium acquirere; atque legitime ad normam iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.

§ 2. Amens et quicumque, alia ratione quam minoritate, in tutelam vel curatelam legitime traditus est alterius, domicilium et quasi-domicilium habet tutoris vel curatoris.

Placet § 1a.

*Quoad § 2:* Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an ista paragraphus remanere debeat uti 2a huius canonis vet uti novus canon inscribenda sit, ne minor in una linea cum amente tractetur.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « Quicumque in tutelam vel curatelam traditus est », quin mentio fiat de amente, quia non agitur de causa sed de facto tutelae et curatela. Placet et textus remanet sicuti est et incipit verbo « Quicumque... ».

*Canon 10 (CIC 94)*

§ 1. Tum per domicilium tum per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.

§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.

§ 3. Illorum quoque qui non habent nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.

Placent §§ 1a et 2a.

Placet etiam § 3a, sed loco formae pluralis, utatur singulari: « Illius... habet... ».

*Canon 11 (CIC 96)*

§ 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.

§ 3. In linea obliqua tot sunt gradus quot personae in utraque simul linea, stipite dempto.

Nulla fit animadversio. Placet.

*Canon 12 (CIC 97)*

§ 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido, etsi non consummato.

§ 2. Viget inter virum et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos.

§ 3. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa.

Paragraphi 1a et 2a placent, sed uniantur unica paragrapho cum particula « atque ».

Placet § 3a, quae fit 2a.

*Canon 12 bis (novus)*

Filii qui ad normam legis civilis nationis adoptati sint, habentur ut filii legitimi eius vel eorum qui eos adoptaverint, salvo can. 1059 et 1080.

Placet. Hic canon fit 13 (cfr. etiam Relationem Sessionis VIIae, pag. 21: cfr. *Communicationes* 22 [1990] 31).

*Canon 13 (nunc 14) (CIC 98)*

§ 1. Inter varios ritus in Ecclesia ad illum ritum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus est aut ad normam iuris baptizari debuisse.

§ 2. Attamen, post receptum baptismum, alii ritui adscribuntur:

1° qui facultatem ad alium ritum transeundi ab Apostolica Sede obtinuerint;

2° mulieres quae, in matrimonio ineundo vel eo durante, ad ritum viri se transire declaraverint; matrimonio autem soluto, libere possunt ritum, cui ad normam § 1 adscriptae erant, reassumere.

3° filii minores quattuordecim annis quorum pater aut, in mixto matrimonio pars catholica, ad alium ritum legitime transierit; adepta autem maiori parte, possunt primum ritum reassumere.

§ 3. Mos, quamvis diuturnus, sacramenta in alieno ritu recipiendi, non secumfert ritus mutationem.

*Quoad § 1:* Post disceptationem, sequens seligitur formulatio: « Inter varios Ecclesiae Ritus ad illum ritum quis pertinet, cuius caeremoniis ad normam iuris baptizatus est aut baptizari debuisse ».

Placet § 2a, sed in n. 3<sup>o</sup> verbum « minores » ponatur post « annis » et loco « adepta autem maioritate » dicatur: « adepta vero hac aetate ».

Placet § 3a.

### III

#### DE PERSONIS IURIDICIS

##### *Canon 1 (CIC 99)*

In Ecclesia, praeter personas físicas, sunt etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt.

Nulla fit animadversio.

##### *Canon 2 (CIC 100)*

Personae iuridicae constituuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali auctoritatis concessione per formale decretum data, sive communitates personarum sive rerum complexus, in finem spirituales, qui singulorum finem transcendit, ordinati.

Cum decretum sit semper 'formale', hoc verbum in textu (lin.2) suprimitur (tertius et secundus Consultores). Cum insuper non omnis auctoritas personam iuridicam constituere possit, post « ex speciali » adiungitur verbum « competentis ». Demum, mutatur « sive ... sive » cum « aut ... aut ».

Ill. mus primus Consultor animadvertit constitutionem personalitatis iuridicae aut per decretum aut per legem fieri debere ideoque tollendum esse verbum « speciali ». Sed Rev. mus Secretarius Ad. observat eandem, si per decretum generale datur, esse iuris praescripto.

Placet textus cum emendationibus probatis et superius indicatis.

##### *Canon 3 (CIC 99 et 100)*

§ 1. Personae canonicae seu iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis sive non-collegialis, prout vel non est coetus aequalium, cuius membra aequali iure, ad normam iuris et statutorum, actionem communem determinat.

§ 3. Universitates rerum constant bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, easque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive personae physicae sive Collegium personarum.

Placet § 1a cum suppressione verborum « canonicae seu ».

*Quoad § 2:* Ill.mus primus et Rev.mus secundus Consultores animadvertunt hodie Collegium Episcoporum esse collegium « catexochen » et tamen in nostro iure non uti collegium haberi. Notat insuper Rev.mus secundus Consultor in Germania collegia adesse cum structura hierarchica, ubi nempe membra aequalia inter se non sunt. Definitio nostra nimis stricta est et quodammodo reformari debet.

Propter rationes allatas, notat Rev.mus Secretarius Ad., in textu dicitur « ad normam iuris et statutorum ».

Insistit Rev.mus secundus Consultor collegium haberi cum collegialiter agitur; et agitur collegialiter per suffragationem.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut verba « cuius nempe membra aequali iure » deleantur.

Collegium habetur — notat Ill.mus primus Consultor — cum eius membra aliquam saltem participationem habent in vita eiusdem collegii; modalitates variae possunt haberi, ideoque ad ius et statuta mittendae sunt.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut loco « actionem communem determinat » dicatur « actionem coetus ».

Rev.mus Secretarius Ad. postquam observaverat supprimenda esse verba « aequali iure » et « aequalium » ut in collegii definitione etiam collegium non aequalium — uti Collegium Episcoporum — inseratur, sequentem formulam proponit: « ...prout vel non est coetus, cuius ipsius actionem determinant membra, in decisionibus ferendis concurrentia, ad normam iuris et statutorum ».

Placet haec propositio.

*Quoad § 3:* Post disceputationem, cum collegium sit semper persona, textus ita modificatur: « Universitas... eamque... moderantur sive una vel plures personae physicae sive Collegium ».

Placet haec emendatio.

*Canon 4 (novus)*

§ 1. Personae iuridicae seu canonicae publicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti constituuntur ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae seu canonicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure expresse eam concedente sive formali decreto auctoritatis eandem personalitatem concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure, cum nempe condiciones adimpleant iure ad eam obtinendam requisitas, sive per formale decretum auctoritatis ecclesiasticae eandem personalitatem concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus, personalitatem iuridicam obtinere intendens, eandem consequi valet nisi cuius statuta ab auctoritate ecclesiastica sint probata.

*Quoad § 1:* tollantur verba «seu canonicae». Placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut simpliciter dicatur: «Personae iuridicae publicae sunt qui ab ecclesiastica...». Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. quia ipsae communitates constituuntur et non tantum personalitate donantur.

Placet textus § 1ae uti iacet cum emendatione iam indicata.

*Quoad § 2:* Post congruam disceptationem omnes in sequenti textu consentiunt: «... sive ipso iure sive speciali competentis auctoritatis decreto eandem expresse concedente; ...requisitas, sive per speciale competentis auctoritatis decretum eandem personalitatem expresse concedens».

*Quoad § 3:* Placet cum emendatione «statuta a competenti auctoritate sint probata».

*Canon 5 (CIC 100, 3)*

Personae canonicae seu iuridicae, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, gaudent favoribus quibus in iure pollent minores.

Placet canon cum suppressione verborum «canonicae seu».

*Canon 6 (novus)*

Personam canonicam publicam repraesentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad normam iuris



conditis, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur.

Placet canon, mutato verbo « canonicam » cum « iuridicam ».

*Canon 7 (CIC 101)*

Ad actus collegiales quod attinet:

1° Si agatur de electionibus, et iure aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est primum ordinatione, dein prima professione, denique aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3° Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet.

*Quoad n. 1°:* placet, sed post « et iure » addatur « statutisve »; in fine mentio fiat tantum de aetate et non de ordinatione et professione: i.e. loco « is electus habeatur qui antiquior est primum ordinatione, dein prima professione, denique aetate » dicatur simpliciter: « antiquior est aetate ». Rev.mus Secretarius Ad. enim animadvertit aliquam difficultatem oriri posse ex electione, uti in Consilio pastoralis, ubi etiam laici sunt et aetas manet unicum omnibus commune elementum in relatione personarum. Eadem difficultas habetur — notat Rev.mus secundus Consultor — in coetibus ubi sunt Religiosi tantum et Religiosi qui etiam caractere sacerdotali ornantur.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut, post tertium scrutinium, aliud ponatur propter illos qui suffragia aequalia consecuti fuerint. Non concordant tamen alii.

*Quoad n. 2°:* placet cum additione verbi « statutisve » post « et iure ».

Placet n. 3°.

Rev.mus tertius Consultor animadvertit canonem 7 sub titulo de personis iuridicis esse, sed tamen latiore applicationem, quam pro actibus collegialibus tantum, habere (saltem n.3 ad collegia sese refert): forsan ponendus esset sub titulo de actibus iuridicis.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet rem visum iri cum de ordinatione systematica sermo erit.

*Canon 8 (CIC 120)*

§ 1. Persona canonica natura sua perpetua est; extinguatur tamen si a competente auctoritate ecclesiastica legitime supprimatur aut per centum annorum spatium agere desierit; persona canonica privata insuper extinguatur, si ipsa consociatio voluntate membrorum supprimatur, aut si, de iudicio auctoritatis ecclesiasticae competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, omne ius communitatis in illud membrum recidit.

§ 3. Iurium patrimonialium et bonorum personae canonicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est publica, statutis propriis, si est privata.

*Quoad § 1:* Placet, sed mutetur dictio « persona canonica » cum « persona iuridica ».

Ill.mus primus Consultor ad personam iuridicam privatam quod attinet praefert ut dicatur, loco « de iudicio », « per decretum » competentis auctoritatis, ita ut possibilitas agendi adversus decretum vel actum erroneum auctoritatis habeatur.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit mentionem faciendam esse, praeterquam de statutis, etiam de iure, quia conditiones requisitae pro constitutione personae iuridicae, de quibus in can. 4, § 2, verificari debent.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. semper auctoritatis interventum haberi debere, secus certitudo non haberetur.

Circa voluntatem membrorum, quae coetus voluntatem determinat, aliquas explicationes quaerit Rev.mus tertius Consultor.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet voluntatem membrorum dissolvere consociationem; maiorem semper per voluntatem membrorum constitui. Ad clariorem rem reddendam, ipse Rev.mus D.nus proponit ut dicatur, loco « voluntate membrorum », « ad normam statutorum ». Propositio placet.

Proponitur etiam ut loco « supprimatur » dicatur « dissolvatur » (Placet) et deleatur verbum « ecclesiasticae », quia bis recurrit et necessarium non est.

Placet § 1a cum emendationibus probatis.

*Quoad § 2:* Notat Rev.mus Secretarius Ad. istam paragraphum, cum sit praecedentis conclusio, supprimi etiam posse. Attamen, claritatis gratia, quod abundat non nocet et potest etiam retineri.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit melius esse de iuris exercitio agi quam de omni iure quod in unicum membrum recidit.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem formulam proponit: «...esse non desierit, exercitium omnium iurium communitatis illi membro competit».

Placet § 2 cum emendatione proposita a Rev.mo Secretario Ad. et approbata a Consultoribus.

Placet § 3a, sed loco «canonicae» dicatur «iuridicae».

#### IV

#### DE ACTIBUS IURIDICIS

##### *Canon 1 (novus)*

Validus est actus iuridicus a persona habili vel competenti positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderentur sollemnia vel conditiones a lege ad validitatem actus impositae.

Rev.mus tertius Consultor petit ut loco «persona habili vel competenti» dicatur «habili et competenti». Contradicit tamen Rev.mus Secretarius Ad. quia verbo «habili» utitur si est persona privata, «competenti» si est publica.

Rev.mus tertius Consultor notat melius esse forsitan dicere «aliquod elementum quod essentialiter actum ipsum constituit», loco «quae actum ipsum...», quia si etiam unum tantum elementum essenziale deficit, actus non constituitur.

Et insuper Rev.mus tertius et Ill.mus primus Consultores notant posse esse sollemnitates quae a statutis vel a contractibus requiruntur.

Rev.mi Secretarius Ad. et secundus Consultor tenent sollemnitates semper per leges statui, dum actus autonomiae privatae ad obiectum consensus pertinent.

Post congruam disceptationem, placet ut textus remaneat prouti est.

##### *Canon 2 (CIC 103)*

1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequaquam resistere potuit, pro infecto habetur.

2. Actus positus ex alia vi et metu, et iniuste incusso aut ex dolo va-

let, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam can. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

Paragraphus 1<sup>a</sup> placet.

*Quoad* § 2: ex propositione Rev.mi secundi Consultoris, supprimenda est, ut linea idearum rectius exprimatur, secunda coniunctio « et », ita ut « iniuste incusso » applicetur etiam ad « vim ». Textus, propterea, hoc modo reformatur: « ...ex alia vi et metu gravi, iniuste incusso, aut ex dolo, valet, nisi... ». Placet.

*Canon 3* (CIC 104)

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

Placet, mutato « versatur » cum « versetur »

*Canon 4* (novus)

Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum protulerint; si unum alterumve Collegii membrum ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerit, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris, ab iis quorum interest.

Rev. mus tertius Consultor animadvertit in hoc canone sermonem esse de vi et metu absque ulla qualificatione, quae et adest in canonibus praecedentibus (primus Consultor), quapropter post disceptationem Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « ex vi et metu, aut ex dolo de quibus in can. 2, § 2, aut ex ignorantia vel errore, de quibus in can. 3, votum protulerint ».

Propositio placet.

In altera canonis parte Rev.mi tertius et secundus Consultores proponunt ut adiungatur « ita » vel « talibus » ad vim, metum aliaque elementa quae enuntiantur qualificanda. Placet ut post « Collegii membrum » adiungatur « talibus ».

Canon placet cum emendationibus probatis.

*Canon 5 (CIC 105)*

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1° Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis;

2° Si consilium requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedendi, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat;

3° Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur ut mentem suam aperire possint; et si non convocantur omnes, aut si iisdem non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4;

4° Omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secreto sedulo servandi.

Placet: in n. 3 inter parentheses indicetur « can. 16, § 3 textus recogniti »).

*Canon 6 (novus)*

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libere posito, alteri damno inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

Ill. mus primus Consultor quaerit quare non dicatur actionem reparandi dari; hoc sibi videtur necessarium ne textus de sola morali obligatione interpretetur; bonum esset si ius ad partis laesae reparationem affirmaretur.

Respondet Rev. mus Secretarius Ad., si obligatio ad damnum illatum reparandum statuitur, etiam actionem dari ad reparationem obtinendam.

Rev. mus tertius Consultor praeferret ut simpliciter diceretur « illegitime alteri damnum infert », sed Rev. mus Secretarius Ad. respondet nos esse in titulo de actibus iuridicis eorumque effectibus, ideoque mentionem faciendam esse praecise de illis.

Placet ut textus remaneat prouti est.

## V

## DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

*Canon 1* (CIC 145)

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spirituales exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum ordinis*, n.20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

Nulla fit animadversio. Placet omnibus.

## DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

*Canon 2* (CIC 147)

§ 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit collatio officii ecclesiastici ad normam sacrorum canonum.

Placet § 1a.

*Quoad § 2:* Placet, mutatis tantum verbis « ad normam sacrorum canonum » cum « ad normam *iuris* » ex propositione Rev.mi Secretarii Ad. quia, hac in re, hodie praesertim ius particulare dari potest, cum multa ad Episcoporum Conferentias demandentur.

Ill.mus primus Consultor petivit suppressionem verbi « sacrorum », sed Rev.mus Secretarius Ad. adversatus est, quia qualificatio sacra est iuri canonico propria in contrapositione ad ius civile. Et insuper, notavit Rev.mus D. nus, cum locutione « ad normam iuris » non excluditur de se ius civile propter mixtionem et influxum quae ius et auctoritates civiles in vita Ecclesiae habent.

*Canon 3* (CIC 148)

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio ad normam sacrorum canonum peracta, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptionem, si electio non egeat confirmatione.



Placet canon, demptis tamen verbis « ad normam sacrorum canonum peracta », quia non sunt necessaria.

Planum est — notat Rev.mus secundus Consultor — omnem actum ad normam iuris faciendum esse, et insuper, si tantum pro uno actu dicitur, praesumptio posset induci caeteros non ad normam iuris fieri posse.

*Canon 4 (CIC 149 et 153)*

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universali vel particulari aut lege foundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Officiis ecclesiasticis nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis irrita tantum est, si qualitates iure universali vel particulari aut lege foundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; si non expresse ad validitatem exigantur, valida est, sed irritari potest sive per sententiam iudicis sive per decretum auctoritatis competentis.

Paragraphi 1a et 2a placent.

*Quoad § 3:* Rev.mus secundus Consultor notat secundum ius vigen nullitatem actus semper esse nullitatem vi legis; et iudex tantum nullitatem declarat, quia iudicis est legem applicare; ideoque in textu dici nequit provisionem per iudicis sententiam irritari posse. In codice dicitur a legitimo Superiore posse irritari.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad., si lex hoc dicit, iudicem hanc habere facultatem. Et — notat idem Rev.mus D.nus — quaestio est an per sententiam iudicis tribunalis ordinarii quicumque actus Superioris rescindi possit, an potius videri non debeat per tribunale administrativum.

Ill.mus primus Consultor proponit ut relinquatur tantum mentio de decreto competentis auctoritatis ita ut iudicis interventus habeatur si contra ipsum decretum recursus habetur. Et praecise, notat Rev.mus Secretarius Ad., recursus adversus decretum apud tribunal administrativum datur. Ideoque, per analogiam ad can. 14 § 2 de potestatis regiminis exercitio, ipse Rev.mus D.nus proponit ut dicatur: « ..irritari potest per decretum..., aut per sententiam tribunalis administrativi ».

Instat Rev.mus secundus Consultor irritationem per decretum Superioris fieri et contra decretum apud tribunal administrativum actionem dari. Ideoque sufficit dicere « per decretum auctoritatis competentis ».

Insistit Rev.mus Secretarius Ad. per sententiam tribunalis administrativi ipsam provisionem invalidari posse.

Tandem aliquando omnes conveniunt in propositione a Rev.mo Secretario Ad. proposita.

Ill.mo primo Consultori non placet verbum « irritari », etsi in Codice invenitur; idea enim alio modo esset exprimenda, uti ex. gr. « eos effectus privari potest » ita ut effectus habeantur ex nunc et non ex tunc, et actus iam positi validi sint, quia valida era nominatio.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. praecise privationem esse effectum irritationis; tamen in textu melius forsitan est uti verbo « invalidari »; quod placet omnibus.

Placet igitur § 3 cum duabus emendationibus probatis.

*Canon 5 (CIC 154)*

Officium, quod curam animarum in foro sive externo sive interno secumfert, clerico sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit, salvo praescriptis can... (de officiis quae a diaconis impleri valent).

Nulla fit animadversio. Ergo placet.

*Canon 6 (CIC 155)*

Officii provisio, cui nullus terminus fuerit lege speciali praescriptus, nunquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

Nulla fit animadversio. Placet canon.

*Canon 7 (CIC 156)*

§ 1. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

§ 2. Firmo praescripto can. 188, n. 3, collatio alicui facta officii incompatibilis cum eo quod iam possidet, irrita est, nisi clausula adiiciatur derogatoria.

Placet § 1.

Placet etiam § 2, sed addantur tamen verba « ob gravem causam » post « nisi », quia secus collatio officii incompatibilis esset possibilis tantum per simplicem clausulae derogatoriae appositionem (tertius Consultor).

*Canon 8 (CIC 150)*

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1, est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum

confertur, provisio nonnisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

Nulla fit animadversio. Placet.

*Canon 9 (CIC 151)*

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collatione.

Placet canon, demptis verbis « secundum sacros canones », quia sufficit dicere « rite ».

*Canon 10 (CIC 158)*

Qui vocem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum, sed huius conditio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

Nulla fit animadversio. Placet.

*Canon 11 (CIC 159)*

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

Placet canon.

Ita explicit Sessio Consultorum, quae proxima vice recognitionem complebit textus canonum de officiis ecclesiasticis et quaestionem videbit de systematica Codicis. Votum exprimitur ut pro hac ultima quaestione Em.mus D.nus Cardinalis Praeses aliquot ex Consultoribus coetus de normis generalibus in hoc nostro coetu cooptare velit.

Romae, die 8 octobris 1971.

M. DE NICOLÒ  
*Adiutor a studiis*

## CANONES APPROBATI

## DE POTESTATIS REGIMINIS EXERCITIO

*Canon 1* (CIC 196)

Potestas regiminis, etiam potestas iurisdictionis vocata, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, de se exercetur pro foro externo, quandoque tamen pro solo foro interno, ita quidem ut effectus quos eius exercitium natum est habere pro foro interno, in hoc foro non recognoscantur, nisi quatenus id determinatis pro casibus iure statuatur.

*Canon 2* (CIC 97)

§ 1. Potestas regiminis ordinaria est quae ipso iure alicui officio adnectitur; delegata quae ipsi personae non mediante officio conceditur.

§ 2. Potestas regiminis ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.

§ 3. Qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

*Canon 3* (CIC 203)

§ 1. Delegatus, qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.

§ 2. Fines sui mandati excedere non intelligitur delegatus qui alio modo ac in mandato determinatur ea ad quae delegatus est peragit, nisi modus ipse a delegante, uti conditio, fuerit praescripta.

*Canon 4* (novus)

§ 1. Potestas regiminis, ratione muneris fungendi ad quod ordinatur, distinguitur legislativa, executiva et iudicialis.

§ 2. Potestas regiminis executiva dicitur gratiosa, si exercetur in volentes; coercens, si exercetur in invitos.

*Canon 5* (CIC 198)

§ 1. Nomine *Ordinarii* in iure intelliguntur, praeter Romanum Pontificem, omnes qui, etiam si ad interim tantum, praepositi sunt alicui Ecclesiae particulari communitative eidem aequiparatae ad normam can. ...; necnon qui in iisdem ordinaria gaudent potestate executiva, nempe Vicarii generales et episcopales; itemque, pro suis sodalibus, Superiores maio-

res qui in aliquo Instituto perfectionis clericali, ordinaria potestate legislativa aut saltem executiva pollent.

§ 2. Nomine *Ordinarii loci* intelliguntur omnes qui in § 1 recensentur, exceptis Superioribus Institutorum perfectionis.

*Canon 6 (novus)*

§ 1. Potestas legislativa exercenda est modo iure praescripto et ea, qua in Ecclesia gaudet legislator infra Auctoritatem supremam, delegari nequit, nisi quatenus aliud iure explicite caveatur.

§ 2. Potestas iudicialis, qua vi ipsius iuris aut ex speciali Summi Pontificis commissione gaudent iudices aut Collegia iudicialia, exercenda est modo iure praescripto, et delegari nequit, nisi ad actus cuiusvis decreto aut sententiae praeparatorios perficiendos.

§ 3. Ad potestatis executivae exercitium quod attinet, servantur praescripta canonum qui sequuntur.

*Canon 7 (CIC 201)*

§ 1. Nisi aliud ex rei natura aut ex iuris praescripto constet, potestatem executivam gratiosam exercere quis potest in subditos, licet e territorio absentes, in peregrinos quoque in territorio actu degentes necnon erga seipsum; item eandem exercere valet extra propriam ditionem existens.

§ 2. Potestatem executivam coercentem quis exercere nequit extra ditionem propriam existens; eam exercere potest in subditos eosque, si praecepta aut decreta statuuntur personalia, etiam extra territorium versantes; in peregrinos autem in territorio versantes, tantummodo ad executioni mandandas tum leges universales tum leges quibus ipsi ad normam can. 14 tenentur particulares.

*Canon 8 (CIC 199)*

§ 1. Potestas executiva ordinaria delegari potest tum ad actum tum ad universitatem casuum, nisi quatenus aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Potestas executiva ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest, sive ad actum sive ad universitatem casuum, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio fuerit expresse prohibita.

§ 3. Potestas executiva delegata ab alia auctoritate potestatem ordinariam habente, si ad universitatem casuum delegata sit, in singulis tantum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus determinatos delegata sit, subdelegari nequit, nisi ex expressa delegantis concessionem.

§ 4. Nulla potestas subdelegata iterum subdelegari valet, nisi id expresse a delegante concessum fuerit.

*Canon 9 (CIC 200)*

Potestas executiva ordinaria necnon potestas ad universitatem casuum delegata, late interpretanda est, alia vero quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem potestas exerceri nequit.

*Canon 10 (CIC 204)*

§ 1. Nisi aliud iure statuatur, eo quod quis aliquam auctoritatem, etiam superiorem, competentem adeat, non suspenditur alius auctoritatis competentis gratiosa potestas, sive haec ordinaria sit sive delegata.

§ 2. Causae tamen ad superiorem auctoritatem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; quo in casu statim superiorem de re moneat.

*Canon 11 (CIC 205, §§ 2 et 3)*

§ 1. Pluribus in solidum ad idem negotium agendum delegatis, qui prior negotium tractare inchoaverit, alios ab eodem agendo excludit, nisi posthac impeditus fuerit aut in negotio peragendo ulterius procedere noluerit.

§ 2. Pluribus collegialiter ad negotium agendum delegatis, procedere debent secundum praescripta de actibus collegialibus statuta in can. 7 (de personis iuridicis; in CIC 101), nisi in mandato aliud cautum sit.

§ 3. Potestas executiva pluribus delegata, praesumitur iisdem delegata in solidum si est gratiosa, collegialiter si est coercens.

*Canon 12 (CIC 206)*

Pluribus successive delegatis, ille negotium expediat cuius mandatum antea concessum, nec postea revocatum fuerit.

*Canon 13 (CIC 207)*

§ 1. Potestas delegata extinguitur expleto mandato; elapso tempore pro quo concessa fuerit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata necnon renuntiatione delegati deleganti significata et ab eo acceptata; non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.



§ 2. Actus tamen, ex potestate delegata quae exercetur pro solo foro interno, per inadvertentiam positus, elapso tempore, validus est.

*Canon 14 (CIC 208)*

§ 1. Potestas ordinaria extinguatur amisso officio cui adnectitur.

§ 2. Nisi aliud iure caveatur, suspenditur potestas ordinaria, si intra tempus iure praescriptum contra decretum amotionis ab officio cui adnectitur instituitur recursus administrativus aut actio iudicialis ad Tribunal administrativum.

*Canon 15 (CIC 209)*

In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia, pro foro tum externo tum interno, potestatem regiminis gratiosam.

*Canon 16 (novus)*

Praescripta cann. 14 et 15 applicantur ad facultatem ad assistendum matrimonio necnon ad confessiones audiendas requisitam quod attinet.

DE PERSONIS PHYSICIS

*Canon 1 (CIC 88)*

§ 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra haec aetatem, minor.

§ 2. Minor, ante plenum septennium, dicitur infans seu parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur.

*Canon 2 (CIC 89)*

§ 1. Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium.

§ 2. Persona minor in exercitio suorum iurium potestati obnoxia manet parentum vel tutorum, iis exceptis in quibus minores lege divina aut iure canonico a patria potestate exempti sunt; ad constitutionem tutorum eorumque potestatem quod attinet, servantur praescripta iuris civilis respectivae nationis, nisi ius canonicum de tutore vel de eiusdem potestate aliud praescriptum pro certis causis statuerit, aut Episcopus dioecesanus in certis casibus iusta de causa per nominationem alius tutoris providendum aestimaverit.

*Canon 3* (CIC 88, § 3)

Quicumque usu rationis habitu est destitutus censetur non sui compos et infantibus assimilatur.

*Canon 4* (CIC 90)

§ 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo cum filius natus est, domicilium, aut, defectu domicilii, quasi-domicilium habuit pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.

§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet nativitatis locus; si de expositio, est locus in quo inventus est.

*Canon 5* (CIC 91)

Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium; *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium.

*Canon 6* (CIC 92)

§ 1. Domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, aut ad decennium completum sit protracta.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur ea in territorio alicuius paroeciae aut saltem dioecesis commoratione, quae aut coniuncta sit cum animi ibi manendi saltem per tres menses si nihil inde avocet, aut ad tres menses reapse sit protracta.

§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in territorio paroeciae dicitur *paroeciale*; in territorio dioecesis, etsi non in paroecia, *dioecesanum*.

*Canon 7* (CIC 95)

Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 8.

*Canon 8* (CIC 93)

Uxor, ratione debitae inter coniuges vitae communionis, communi quidem ut plurimum consensu ordinandae, praesumitur habere domicilium et quasi-domicilium viri sui; potest tamen etiam proprium domicilium et quasi-domicilium acquirere.

*Canon 9 (CIC 93)*

§ 1. Minor necessario retinet domicilium et quasi-domicilium illius cuius potestati subiicitur. Infantia egressus potest etiam quasi-domicilium proprium acquirere; atque legitime ad normam iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.

§ 2. Quicumque alia ratione quam minoritate, in tutelam vel curatellam legitime traditus est alterius, domicilium et quasi-domicilium habet tutoris vel curatoris.

*Canon 10 (CIC 94)*

§ 1. Tum per domicilium tum per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.

§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.

§ 3. Illius quoque qui non habet nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum parochus proprius est parochus loci in quo actu commoratur.

*Canon 11 (CIC 96)*

§ 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.

§ 3. In linea obliqua tot sunt gradus quot personae in utraque simul linea, stipite dempto.

*Canon 12 (CIC 97)*

§ 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido, etsi non consummato, atque viget inter virum et mulieris consanguineos, itemque mulierem inter et viri consanguineos.

§ 2. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa.

*Canon 13 (novus)*

Filii qui ad normam legis civilis nationis adoptati sint, habentur ut filii legitimi eius vel eorum qui eos adoptaverint, salvo cann. 1059 et 1080.

*Canon 14 (CIC 98)*

§ 1. Inter varios Ecclesiae Ritus ad illum ritum quis pertinet, cuius caeremoniis ad normam iuris baptizatus est aut baptizari debuisse.

§ 2. Attamen, post receptum baptismum, alii Ritui adscribuntur:

1° qui facultatem ad alium Ritum transeundi ab Apostolica Sede obtinuerint;

2° mulieres quae, in matrimonio ineundo vel eo durante, ad Ritum viri se transire declaraverint; matrimonio autem soluto, libere possunt Ritum, cui ad normam § 1 adscriptae erant, reassumere.

3° filii quattuordecim annis minores quorum pater aut, in mixto matrimonio pars catholica, ad alium Ritum legitime transierit; adepta vero hac aetate, possunt pristinum Ritum reassumere.

§ 3. Mos, quamvis diuturnus, sacramenta in alieno Ritu recipiendi, non secumfert Ritus mutationem.

#### DE PERSONIS IURIDICIS

##### *Canon 1 (CIC 99)*

In Ecclesia, praeter personas físicas, sunt etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt.

##### *Canon 2 (CIC 100)*

Personae iuridicae constituuntur aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali competentis auctoritatis concessione per decretum data, sive communitates personarum sive rerum complexus, in finem spirituales, qui singulorum finem transcendit, ordinati.

##### *Canon 3 (CIC 99 et 100)*

§ 1. Personae iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis sive non-collegialis, prout vel non est coetus, cuius ipsius actionem determinant membra, in decisionibus ferendis concurrentia, ad normam iuris et statutorum.

§ 3. Universitas rerum constat bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, eamque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive una vel plures personae físicas sive Collegium.

*Canon 4 (novus)*

§ 1. Personae iuridicae publicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti constituuntur ut intra fines sibi praestitos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure sive speciali competentis auctoritatis decreto eandem expresse concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam obtinendam requisitae, sive per speciale competentis auctoritatis decretum eandem personalitatem expresse concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus, personalitatem iuridicam obtinere intendens, eandem consequi valet nisi cuius statuta a competenti auctoritate sint probata.

*Canon 5 (CIC 100 § 3)*

Personae iuridicae, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, guadent favoribus quibus in iure pollent minores.

*Canon 6 (novus)*

Personam iuridicam publicam repraesentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad normam iuris conditis, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur.

*Canon 7 (CIC 101)*

Ad actus collegiales quod attinet:

1° Si agatur de electionibus, et iure statutisve aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure statutisve caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3<sup>o</sup> Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet.

*Canon 8 (CIC 102)*

§ 1. Persona iuridica natura sua perpetua est; extinguatur tamen si a competenti auctoritate legitime supprimatur aut per centum annorum spatium agere desierit; persona iuridica privata insuper extinguatur, si ipsa consociatio ad normam statutorum dissolvatur, aut si, de iudicio auctoritatis competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, exercitium omnium iurium communitatis illi membro competit.

§ 3. Iurium patrimonialium et bonorum personae iuridicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est publica, statutis propriis, si est privata.

DE ACTIBUS IURIDICIS

*Canon 1 (novus)*

Validus est actus iuridicus a persona habili vel competenti positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderentur sollemnia vel conditiones a lege ad validitatem actus impositae.

*Canon 2 (CIC 103)*

1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequam resistere potuit, pro infecto habetur.

2. Actus positus ex alia vi et metu gravi, iniuste incusso, aut ex dolo, valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam cann. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

*Canon 3 (CIC 104)*

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versetur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.



*Canon 4 (novus)*

Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu, de quibus in can. 2, § 2, aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore, de quibus in can. 3, votum protulerint; si unum alterumve Collegii membrum talibus ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerint, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris, ab iis quorum interest.

*Canon 5 (CIC 105)*

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1° Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis;

2° Si consilium requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedendi, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat;

3° Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur ut mentem suam aperire possint; et si non convocantur omnes, aut si iisdem non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4 (can. 16 § 3 textus recogniti);

4° Omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secretum sedulo servandi.

*Canon 6 (novus)*

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libere posito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

## Tit. IV - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

*Canon 1 (CIC 145)*

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

#### Caput I - DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

##### *Canon 2 (CIC 147)*

§ 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit collatio officii ecclesiastici ad normam iuris.

##### *Canon 3 (CIC 148)*

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptionem, si electio non egeat confirmatione.

##### *Canon 4 (CIC 149 et 153)*

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universali vel particulari aut lege foundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Officiis ecclesiasticis nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universali vel particulari aut lege foundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; si non expresse ad validitatem exiguntur, valida est, sed invalidari potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam Tribunalis administrativi.

##### *Canon 5 (CIC 154)*

Officium quod curam animarum in foro sive externo sive interno secumfert, clerico sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit, salvo praescriptis can. ... (de officiis quae a diaconis impleri valent).

*Canon 6 (CIC 155)*

Officii provisio, cui nullus terminus fuerit lege speciali praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

*Canon 7 (CIC 156)*

§ 1. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

§ 2. Firmo praescripto can. 188, n. 3, collatio alicui facta officii incompatibilis cum eo quod iam possidet irrita est, nisi ob gravem causam clausula adiiciatur derogatoria.

*Canon 8 (CIC 150)*

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio nonnisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

*Canon 9 (CIC 151)*

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

*Canon 10 (CIC 158)*

Qui vocem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum, sed huius conditio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

*Canon 11 (CIC 159)*

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

